

Carolus Magnus et Leo papa

55 *Strenuus ingenio Karolus, sapiensque, modestus,
Insignis studio, resplendens mente sagaci,
Nomen et hoc merito Karolus sortitur in orbe.
Haec cara est populis lux et sapientia terris;
Omne decus pariter famulis, ornatus et omnis
Exstat, honor populi et plebis spes gloria summa
Nominis. Hunc olim terris promisit origo*

60 *Tam clarum ingenio, meritis quam clarus opimus
Fulget in orbe potens, prudens gnarusque, modestus,
Inluster, facilis, doctus, bonus, aptus, honestus,
Mitis, praecipuus, iustus, pius, inclitus heros,
Rex, rector, uenerandus apex, augustus, opimus,
65 Arbiter insignis, iudex, miserator egenum,
Pacificus, largus, solers hilarisque, uenustus.
Grammaticae doctor constat praelucidus artis;
Nullo umquam fuerat tam clarus tempore lector;
Rethorica insignis uegetat praceptor in arte;*

70 *Summus apex regum, summus quoque in orbe sophista
Exstat et orator, facundo famine pollens;
Inclita nam superat praeclari dicta Catonis,
Vincit et eloquii magnum dulcedine Marcum,
Atque suis dictis facundus cedit Homerus,*

75 *75 Et priscos superat dialectica in arte magistros,
Quatuor ast alias artes quae iure secuntur,
Discernit simili rerum ratione magistra;
Doctus in his etiamque modo rex floret eodem.
Sonus iter meruit doctrinae adipiscier omne,*

80 *80 Occultas penetrare uias, mysteria cuncta
Nosse, deo seriem reuelante ab origine rerum.
Omnem quippe uiam doctrinae inuenit et omnem
Artis opacum aditum secretaque clancula uerba.
Omnia solus enim meruit pius ille talenta*

85 *85 Suscipere et cunctis praefertur in arte magistris:
Scilicet imperii ut quantum rex culmine reges
Excellit, tantum cunctis praeponitur arte.*

325 *Sol fugit interea, lucem nox occupat umbris;
Membra solo exoptant placidum defessa soporem.
Portentum rex triste uidet monstrumque nefandum
In somnis, summum Romanae adstare Leonem
Vrbis pontificem mestosque effundere fletus,
330 Squalentes oculos, maculatum sanguine uultum,
Truncatam linguam horrendaque multa gerentem
Vulnera. Sollicitos gelidus pauor occupat artus
Augusti. Rapidos Romana ad moenia missos
Tres iubet ire, foret si sanus pastor opimus
Explorare gregis; quid tristia somnia signent
335 Miraturque; piam curam gerit ille fidelem.
Festinant rapidis legati passibus; ipse
Saxoniam repetit cum multis milibus heros.
Agmina conueniunt diuersis partibus orbis,
Cognataeque acies properant super ardua Rheni
340 Litora, Saxonum populum domitare rebellem
Et saeuam gelido gentem rescindere ferro.*